

m

Handwritten text, possibly a library or collection mark, located in the upper right corner of the cover.

Handwritten text, possibly a library or collection mark, located in the lower right area of the cover.

150.
Cart. bibl. p. 150.

AD
CAROLI GEHLERI
MEMORIAM

CALEND. DECEMBR. MDCCLXXXIII.
IN GYMNASIO RECOLENDAM

INVITAT
JOANNES FRIDERICVS NEVMANNVS
GYMN. CONR.



PROLUSIONIS LOCO PROPONITUR
DE
BIBLIOTHECA MILICHIANA
GYMN. AVG. GORL. PVBLICA
REPETITARVM COMMENTATIONVM
Partic. I.

GORLICHII, EX OFFICINA FICKELSHERIANA.

30

CAROLI GHEHLERI

MEMORIAM

GALEND. DOCTOR. MEDICINAE
IN GYMNASIO REGIO. SIBIRIAE

JOANNES FRIDERICVS INDVIANVS

Com. Cons.



PROLUSIO LING. PROGNITICA
DE
BIBLIOTHECA MUSEI N. I. V. A.

Com. Cons. Sib.

REPERTORIUM COMMENTATIONVM

COLLEGIUM IN OTTAVIA TERRITORIA



Viginti nunc sunt anni, ex quo Jo. GOD. GEISLERVS V. C. illo tempore in Gymnasio nostro humaniorum litterarum doctor, postea Seren. Saxon. Duci Goth. a consiliis ecclesiasticis, & scholae provincialis Gothanae, nunc Portensis Rector, initium fecit de bibliotheca Milichiana scribendi in prolusionibus annuis, solennium Gehlerianorum causa edendis. Quod coeptum postea ad eum usque annum, quo hinc abiit, persecutus, in quinto libello substitit. In his igitur libellis primum hoc erat ei propositum ut illius bibliothecae historiam enarraret, quae extat, in prioribus duobus, tanta fide & cura concinnata, ut talium rerum studiosis nihil, quod desiderari possit, reliqui fecisse videatur. Namque diligenter accurateque exposuit, cum de bibliothecae auctoribus ejusdemque fatis, tum de patronis & amplificatoribus, quos ea habuerit varii generis multos & vere munificos, itemque de ejusdem praesidibus, de custodibus vel bibliothecariis. Deinde in tertia jam & quarta commentatione progressus ad interna bibliothecae bona proferenda, e codicibus manuscriptis accurate scienterque recensuit praecipuos, qui extant, vel in membranis, vel in chartis. Reliquorum autem, multorum sane nec contemnendorum, indicem operosum & plenum dare maluit in libello postremo, eoque superioribus multo ampliore, quam coeptam laboris partem deferere. Quos tamen codices, dubium non est, quin tractaturus fuerit eadem, qua superiores, diligentia & crisi, nisi tum fuerit iam occupatus in ipso abitu parando multisque & variis rebus districtus, quae ejusmodi tempora nunquam non solent comitari. Geislerus quidem, si diutius hic commoratus fuisset, reliqua hujus bibliothecae bona statuerat paulatim persequi, & sic coeptam quasi telam pertexere, eodem modo dicturus, cum de potioribus codicibus impressis, tum de cetero vel nummorum, vel rerum physicarum, artificiosarum, aliarumque apparatu haud contemnendo. Quod institutum cum & iis utile sit, qui talia nosse curant, & fructuosum bibliothecis ipsis; tum vero nullum aliud aptius est proferendis & laudandis munificentiae exemplis, nec illud adeo omittendum plane, sed subinde repetendum.

Equidem cum ejusdem bibliothecae cura a Senatu Ampl. ante aliquot annos mihi concredita fuisset, primum necesse habui aliquam illius comparare

notitiam, & cum Jo. HORTSCHANSKY, Collega meo exoptatissimo, eum restaurare & conficere omnium librorum indicem, qui deinceps inservire posset alteri instruendo, quem alphabeticum dicunt ex ordine litterarum. Deinde ipsi bibliothecae iam imminabat ea loci mutatio, de qua paulo post dicemus. Quae dum pararentur & fierent, ecce nova subinde felicitas, altera post alteram eidem oblata est, eaque tam inopinata, tamque praeclara, ut me jam non pœniteret morae restaurandis illis de bibliotheca commentariis factae, qui nunc possim eorum facere initium eo magis insigne, quo iucundior est tantorum meritorum & laudum commemoratio, quae debetur talibus munificentiae exemplis publicis & privatis.

Namque propositum mihi jam est per aliquot annos, si vitam Deus dederit & vires, persequi ea, quae reliqua sunt e consilio & instituto Geisleriano. Sed nunc quidem in hac prolusione, narrationis filo quasi repetito, servatoque, quantum id fieri poterit, ordine Geisleriano, dicam primum de Senatus Ampl. beneficiis, per illud temporis intervallum in bibliothecam collatis, deinde de novis pecuniarum donationibus, earumque auctoribus, & denique de iis fautoribus, qui variis donorum generibus bibliothecam auxerunt atque ornarunt. In proxima commentatione, breviter antea commemoratis iis, quae nobis innotuerint de illa antiquiori bibliotheca monasteriali & scholastica, cum Milichiana nuncquidem conjuncta (*), tandem redibimus ad interna bibliothecae bona, dicturi primum de codicibus impressis antiquioribus, quorum ea habet non paucos, in iisque non prorsus contemnendos.

Ac Senatus quidem Ampl. cura & liberalissima bibliothecae tutela noluit acquiescere in illo annuo stipendio (**), augendae bibliothecae destinato: nec satis habuit eam per hos annos locupletare, vel donandis codicibus quam plurimis, vel conferendis ornamentis aliis, ipsamque conficiendi indicis generalis ejusdemque describendi operam remunerari largissime, aliosque huiusmodi sumtus suppeditare; sed novum nuper voluit extare suae munificentiae monumentum, idque vere magnum, & nunquam satis digne laudandum, in nova bibliothecae sede magnis sumtibus paranda atque exornanda. De qua re nunc nobis dicendum est.

Namque bibliothecae nostrae Milichianae, anno huius seculi septimo & vigesimo, quo Suidnicio huc fuit transvecta, locus paratus fuerat in ipsa curia ad forum inferius, isque tum satis idoneus & amplus, pro codicum numero, qui erat 43II (**). Sed hic numerus postea vel emtione librorum, vel dona-

(*) De qua conjunctione vid. Geisler. pag. 34. sub fin. comment. IV.

(**) Id. in comment. II. pag. 14.

(***) Geisler. pag. 17.

donatione ita fuit auctus, ut jam ante multos annos illa sedes non amplius sufficeret, & magna pars librorum transferenda esset eum in locum (*), quorum in monasterio servabatur illa bibliotheca antiquior, cuius paulo ante mentio facta est. Cum vero haec ipsa etiam adjungeretur Milichianae; loco jam opus erat, qui, una cum reliquo apparatu & variarum rerum congerie, bibliothecam caperet, quae sic facile ultra duplum excreverit, quippe quae nunc quidem haud ita longe absit a numero codicum 9000.

E pluribus igitur aedificandi formis & consiliis Senatus censuit, locum bibliothecae parandum esse ad idem forum inferius, versus septentrionem, in eo aedificio, quod vulgo vel novarum aedium, vel mercatorum curiae nomine appellari consueverat, & totam illius contignationem Superiorem, ad interioris spatii longitudinem pedum 113. & latitud. 28. ita instruendam, ut Milichianae quidem proprie sic dictae, & ad numerum septem fere millium & ducentorum codicum auctae, majus illud conclave destinaretur, quod intra aedes ascendentes ad dextram est, alterum vero ad sinistram relinqueretur antiquiori illi bibliothecae huc transferendae. Nam, quod hucusque transeuntes excipit, primum penetrabile inservire debet commorationi custodis bibliothecae, numis etiam aliisque rebus in scrinis asservandis, & quae duo sequuntur parvula in recessu intimo, reliquum apparatus continent ex diverso instrumentorum, rerum physicarum, aliarumque genere.

Operi faciundo praesuerunt A. H. LERCHE, de quo paulo post, J. U. Licent., Aedilis & Praetor, & qui huic in Aedilitate & in opere absolvendo successit F. G. GOESING, vestigalium summi principis ephorus. Quod opus nunc quidem perfectum qui vident, & de talibus rebus iudicare possunt, sane fatentur omnes, praestantissimum esse & pulcherrimum, vel ad rei usum, pro loci natura & situs opportunitate, vel ad bibliothecae splendorem in reliquo ornatu. In eam igitur novam sedem anno superiori migravit bibliotheca Milichiana ex eo loco, in quo per sex & quinquaginta annos habitaverat, & hanc proxime sequetur eodem illuc illa antiquior, cum primum licebit per anni tempus & coeli temperiem.

Praesides s. ephoros bibliotheca habuit inde ab Ao. 1765. ROTHUM, Consulem, cui Ao. 1779. consulatu aliisque muneribus omnibus abeunti successit J. G. MODRACH, Consul, & E. G. HARTMANNUM, J. U. D. & civit. Syndicum.

Sequitur jam, ut novas pecuniarum donationes commemorem, quae non ipsis solum earum auctoribus dignissimam liberalitatis gloriam conciliant, eorumque nomina cum omni posteritate communicabunt, sed propterea etiam

* 3

in

(*) id. pag. 14.

in lucem proferri merentur, ut appareat, qui jam sit in animis Göttingensium virtutis, litterarum & patriae amor, & qui sensus honestatis adhuc vigeat in hac urbe, quae omni tempore doctrinae virtutisque laude floruit. Res quidem bibliothecae Milichianae illis donationibus mirifice iuvantur augmenturque.

Sunt autem hae donationes:

- 1) Andreae Henrici LERCHE, Nordhusani, J. U. Licent. & Praetoris, Viri meritorum laude ingenique & juris scientiae gloria clarissimi. Qui per quadraginta amplius annos in hac urbe vixit, eamque habuit alteram patriam, & per longam annorum seriem juvit & ornavit, vel magistratibus gerendis, vel muneribus publicis obeundis quam plurimis, civibus & exteris cum laude cognitus, privatis, summis, infimis iucundus. Is igitur, cum superiori anno, exeunte mense Junio, Praetura & Aedilitate sese abdicasset, ut, quod vitae reliquum sit, sibi viveret in honesto otio: primum totum illud stipendium honorarium centum Thaler., ad vitae dies a Senatu ei decretum, & a summo principe confirmatum, convertit in usus pios h. e. ad liberalitatem vel privatim vel publice exercendam. E quo postremo genere haec est, quae pertinet ad bibliothecam. Huic enim triginta thaleror., litteris rei firmandae causa datis, quotannis dicavit, hac quidem lege, ut eorum quinque & viginti singulis annis impendantur in emendas tabulas geographicas, aedificiorum & locorum descriptiones aeri incisas, aliorumque hujuscemodi rerum figuras & clarorum virorum imagines, reliqui vero quinque thaleri cedant Bibliothecario. Deinde eidem bibliothecae similiter & eadem lege cessit & dono dedit summam mille thaler., pretii loco sibi debitam, ut post mortem suam ex istius sortis usuris quadraginta thaleri quotannis converterentur ad eosdem, qui nunc quidem ex dono annuo jam servantur, usus, decem autem reliqui darentur Bibliothecario.
- 2) Altera est matronae honestissimae, Fridericae Christianae GEISLERIAE, venerandi Riechii filiae, in ornanda bibliotheca paternum animum gerentis. Sed hujus dona sunt neque unius temporis, neque eiusdem generis. Nam cum antea saepe multa & varia obtulisset, tum post dilectissimi fratris, & venerandae matris obitum, paternorum bonorum haeres ex asse facta, primum mense Febr. 1780. summam 172. thaleror., quos pater paulatim & subinde commodaverat sine usuris, reddita syngrapha, bibliothecae remisit. Deinde hoc ipso anno in Danielis Riechii, fratris memoriam, eidem dono dedit trecentorum thaleror. summam, cujus usurae annuae ex arbitratu ephororum & Bibliothecarii in usus bibliothecae possint


sint collocari, & denique nuper admodum ex paterno librorum apparatu donavit quatuor & viginti codices, majoris formae, in quibus sunt praestantissima Londorpii, Waltheri, Meieri, aliorumque opera de pace Westphalica ejusdemque executione Norimbergae facta, una cum Bullario magno Romano, aliisque similibus.

Sed hoc ipsum liberalitatis postremum genus me jam admonet de commemoranda aliorum fautorum laude, qui inde ab anno 1768. huc usque variis donorum generibus bibliothecam auxerunt atque ornarunt. In quo loco speravi me haud incommode facturum, si, quemadmodum Geislerus fecit, istos evergetas dispescerem in Cives & externos, & illos iterum, pro numerum & dignitatum generibus, digererem in classes, adjecto & quantum quidem fieri poterit, brevissime notato eo liberalitatis genere, potiori certe, quo bibliothecam ornarunt.

E civibus igitur, & quidem Senatorii ordinis: J. C. C. CRUDELIUS, biblioth. fautor eximius, qui, quamdiu vixit, eam summo studio libris & omni ornamentorum genere locupletavit. F. G. KOBER, sen. Praetor, nummis identid. J. G. LOCHMANN, Scab. lapid. e therm. Carolin. F. S. SOHR, sen. Scabin. cum fratre J. A. tributor. quaestore, globo caelesti magno & nitido, itemque numm. complur. J. Gottl. GEISLER, Scab. & Praef. urb. libris, imprimis supplendis scriptoribus Byzantin., opp. Lutheri edit. authent. nummis, metallor. Specim., Dactyliothea Rostiana, & collectione lapid. e therm. Carolin. plena &c. G. E. PETRI, Scab. nummis identid. J. G. ZOBEL, Scabin. libris. J. S. BLUMENTHAL, Senat. numm. Ex militum ducibus; F. J. de EHRENSTEIN, Subchiliarch. libris. Ex Theologis: C. G. GIESE, Archid. libris identid. iisque interdum raris & magni pretii. E Jctis: C. G. ANTON, J. U. D. libris cum ab ipso editis, tum aliis. J. G. EHALT, Protonot. libris. J. S. SCHMIDT, sen. quaestor. aerar. libr. C. E. SCHMIDT, Adv. curios. nat. J. A. KOBER, Adv. numm. Jo. Fr. KOBER, curs. publ. Praefect. nummis & effigie Gellerti gypsea. S. T. NEUMANN, Adv. lapid. & artef. G. KRETSCHMAR, Adv. var. lignor. gener. RIESCHKE, Adv. reb. phys. C. N. NAUMANN, AA. M. artefactis. J. Abrah. CRUDELIUS, J. C. C. fil. libris. E Medicis: D. J. D. ISAAC, Physic. Ord. reb. natur. curios. & MSt. E Doctoribus Gymnasii: M. BAUMEISTER, Rect. MSt. GROSSER, SubR. nummo pontif. satyr. SCHROEDTER, Cand. & Collab. libr. E civibus primariis: Matth. BOEHM, mercaturae juvandae consiliar. numm. J. Gotth. GEISLER, negotiat. nummis Bengal. complur. aureis & argent.

argent. itemque reb. phys. J. S. FROELICH, negot. libr. BELLMANN, sen. imagine Lutheri manu Luc. Cranach depicta. Gottfr. SCHAEFFER, Geometr. publ. Specim. vestiment. raptor. princip. Sax. ZOYSEL, Chirurg. Ord. ferpentib. ind. aliisque natur. E reliquis: PRAETORIUS, aurifaber, lapidib. MÜSSIGANG, Stannar. folio Cannae indic. solidior. ALEX, Sutor, effigie urb. Parisin. E Feminis: SCHOENIA vidua, forma aenea ad excud. imag. obsid. Gorlic. parata.

Exteriorum nomina haec sunt: Jo. Godofr. GEISLER, auctor commentar. de biblioth. Milich., quam mirifice semper amavit, hodieque amat, & omnib. fere annis, quibus hinc abfuit, libris multis iisque interdum raris & magni pretii ornavit. C. G. de SCHACHMANN, libris ab ipso editis h. e. descript. musei numarii proprii & descript. mont. Koenigshayn. Ad. Tr. de GERSDORFF, libris ab ipso editis. FRIDERICUS Illustriss. Comes ANHALTIN. libr. & sua ipsius effigie. Rud. Aug. de GERSDORFF, collect. lapid. e therm. Carol. Liber Baro de KESELITZ, numm. G. F.; KOEHLER, Past. Hermsd. numm. Turcico. J. C. ZAESCHMAR, Past. Rengersd. numm. C. G. JANCKE, Minist. Cand. Horatii Emblem. cum fig.



Solennia Gehleriana crastino die, qui erit L. Dec. in Gymnasio hora IX in acroaterio primae classis celebrabuntur hoc modo. Post orationem in memoriam CAROLI GEHLERI a me ipso habendam, ad dicendum prodibunt e Sodalibus chori Symphon.

FR. GOTTH. FLADE, }
 JO. TR AUG. POHL, } Gorl.
 CAR. GOTTFR. FABRICIUS, Cofel.

Eas igitur orationes ut *SENATUS AMPLISSIMUS CETERIQUE REI SCHOLASTICAE FAUTORES* sua praesentia cohonestare benigneque velint audire, omni, qua par est, observantia oro rogoque.

P. P. prid. Calend. Decembr. 1784.



Hist. Sax. H. 273^m

